

DE SERMONE DOMINI IN MONTE

G ceterum, Quotidie morior, per vestram gloriam. Quod
1. Cor. 15. ne quid existimet ita dictum tanquam si diceretur, vestra gloria me facit quotidie mori, sicut dicitur, per illius magisterium doctus factus est, id est illius magisterio factus est ut perfecte doceretur: Græca exemplaria dijudicantur, in quibus scriptum est, *καὶ ἡμεῖς ἐκ τῆς δόξης αὐτοῦ ἐγεννηθημεν*, quod non nisi a iurante dicitur. Ita ergo intelligitur præcepisse dominum ne iuratur, ne quisquam sicut bonum appetat iusurandum, & assiduitate iurandi ad periculum per consuetudinem delabatur. Quapropter qui intelligit, non in bonis, sed in necessariis iurationem habendam, refrenet se quantum potest ut non ea utatur, nisi necessitate: cum videt pigros esse homines ad credendum, quod eis vtile est credere, nisi iuratione firmetur. Ad hoc itaque pertinet quod sic dicitur, Sit autem sermo vester, est, est: non, non. Hoc bonum est, & appetendum, quod autem amplius est, a malo est: id est si iurare cogaris, scias de necessitate venire infirmis vitiis eorum quibus aliquid sitas. Quæ infirmitas vtiq; malum est, unde nos quotidie liberari deprecamur cum dicimus, Libera nos a malo. Itaque **Matt. 6.** **H** non dixit: quod autem amplius est, malum est. Tu autem non malum facis qui bene vteris iuratione, quæ est non bona, tamē necessaria est ut alteri persuadeas quod vtiliter persuades, sed a malo est illius cuius infirmitate iurare cogaris. Sed nemo novit nisi qui expertus est, quā sit difficile & consuetudinem iurandi extinguere, & nunquam temere facere quod non nunquam facere necessitas cogit. Quæri autem potest, cum diceretur, Ego autem dico vobis, non iurare omnino: cur additum sit, neque per cælum, quia thronus dei est: & cætera usque ad id quod dictum est, neque per caput tuum. Credo propterea, quia non putabant Iudei se teneri iure iurando, si per ista iurassent: & quoniam audierant, Reddes autem domino iusurandum tuum, non se putabant domino debere iusurandum, si per cælum, aut terram, aut per Hierosolimam, aut per caput suum iurarent: quod non vitio præcipientis, sed illis male intelligentibus, factum est: Itaque dominus docet nihil esset tam vile in creaturis dei, ut per hoc quisque periurandum arbitretur: quando a summis usque ad infima diuina providentia creata regerentur, incipientia a throno dei usque ad capillum album aut nigrum. Neque per cælum, inquit, quia thronus dei est: neque per terram, quia scabellum pedum eius est: id est cum iuras per cælum aut terram, non te arbitris non debere domino iusurandum tuum, quia per eum iurare conuinceris cuius cælum thronus est, & cuius scabellum terra est: neque per Hierosolimam, quia ciuitas est magni regis, melius quā si diceret, mea, cum tamen hoc dixisse intelligatur. Et quia ipse vtiq; dominus est, domino iusurandum debet qui per Hierosolimam iurat, Neque per caput tuum iuraueris, Quid enim poterat quisque magis ad se pertinere arbitrari quā caput suum? Sed quomodo nostrum est, ubi potestatem faciendi vnius capilli albi aut nigri non habemus? Ergo deo debet iusurandum ineffabiliter tenenti omnia & ubique presenti, quisquis etiam per caput suum iurare voluerit: & hinc etiam cætera intelliguntur quæ omnia vtiq; dici non poterant, sicut illud quod commemorauimus dictum ab Apostolo. **1. Cor. 15.** Quotidie morior, per vestram gloriam. Quia iurationem ut domino se debere ostenderet, addidit, quā habeo in Christo Iesu. Veruntamē propter carnales dico, non oportet opinari quod dictum est cælum thronus dei est, & terra scabellum pedum eius, quod sic habeat deus collocata membra in cælo & in terra ut nos cum sedemus, sed illa sedes dei iudicium dei significat. Et quoniam in hoc vniuerso

mundi corpore maximam speciem cælum habet, & terra minimam, tanquam presentior sit excellenti pulchritudini vis diuina, minimam vero ordinem in extremis atque infimis, sedere in cælo dicitur terramque calcare. Spiritualiter autem sanctas animas cæli nomine significat, & terræ, peccatrices: & quoniam spiritualis omnia iudicat, ipse autem a nemine iudicatur, cōuenienter dicitur sedes dei. Peccator vero cui dictum est, Terra es & in terram ibis: quia per iustitiam meritis digna tribuentem, in infimis ordinatur, & qui in lege manere noluit, sub lege punitur, congruenter accipitur scabellum pedum dei. Sed iam ut istam quoque cōcludamus summam, quid laboriosius aut operosius dici, aut cogitari potest, ubi omnes neruus industriae suæ animus fidelis exerceat, quā in vitiosa consuetudine superanda præcidat membra impeditentia regnum cælorum, nec dolore frangatur: toleret in cōiugali fide omnia quæ quantum sunt molestissima, crimen tamen illicitæ corruptionis, id est fornicationis non habent? Veluti si uxorem quisque habeat, vel sterilem, vel deformem corpore, siue debilem membris, vel cæcam, vel surdam, vel claudam, vel siquid aliud, siue morbis & doloribus languoribusq; confectam: & quicquid excepta fornicatione cogitari potest vehementer horribile, pro fide & societate sustineat, neque talem abiciat: sed etiam si non habeat non ducat eam, quæ soluta est a viro pulchram, sanam, diuitem, fecundam. Quæ si facere non licet, multo minus sibi licere arbitretur ad viliū alium illicitum concubitu accedere, fornicationemq; furtiui: & cum omni turpitudine se penitus extrahat. Verum loquatur, neque iuratiōibus crebris, sed morum probitate commendat, Rebelleantes aduersum se omnium malarum consuetudinum innumerabiles turbas, de quibus ut omnes intelligerentur, pauca commemorata sunt, confugiens ad arcem Christianæ militiæ, tanquam de loco superiore profrenat. Sed quis tantos labores inire audeat, nisi qui sic flagrat amore iustitiæ, ut tanquam fame & siti vehementissime accensus, & nullam sibi vitam donec ea satietur existimās, vim faciat in regnum cælorum? Non enim aliter poterit esse fortis ad toleranda omnia, quæ in prædicandis consuetudinibus laboriosa & ardua & omnino difficilia seculi huius amatores putant. Beati ergo qui elidunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Veruntamen in his laboribus cum quicquid difficultatem patitur, & per dura & aspera gradum faciens circumvallatus varijs tentationibus, & hinc atque illinc insurgere præterita vitæ molestias intuens, timet ne aggressa implere non possit, arripiat, consilium ut auxilium mereatur. Quod est autē aliud consilium, nisi ut infirmitatem aliorum ferat, & eis quantum potest optuletur, qui suæ diuinitis desiderat subueniri? Cōsequenter itaque præcepta misericordiæ videamus, Mitis autem & misericors vnum videntur, Sed hoc interest, quod mitis, de quo superius tractatum, est qui pietate non contradicit diuini sententijs, quæ in sua peccata proferuntur, neque illis dei sermonibus quos nondum intelligit, sed nullum beneficium præstat ei cui non contradicit nec resistit. Misericors autem ita non resistit, ut propter eius correptionem id faciat, quæ redderet resistendo peiorē. Sequitur ergo dominus & dicit, Audistis quia dictum est, Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere aduersus malum. Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram, Et qui voluerit tecum iudicio contendere & tunica tuā tollere, dimitte illi & pallium, Et qui te angariauerit mille passus, vade eā illo alia duo. Omni petenti te da, &

Tals, indi cant.

Matt. 6.

Quo

I

1. Cor. 15.

Gene. 3.

L

M

Exod. 21.

da, &